



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lucae Opalenii. Marsalci Curiae Regni Poloniae. Seu  
(Anagrammatice.) Pauli Næoceli De Officiis Libri Tres**

**Opaliński, Łukasz**

**Amsterdami, 1668**

Pars Capitis Secunda. De Impossibilitate Primitivæ Charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46825](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46825)

sufficientia, & parabilitas rerum, sponte  
 provenientium, superfluum fecisset. De-  
 nique Immunitas mutua foret: & extor-  
 sio obligationis necessariò cessasset. Cùm,  
 ut alter alteri munifex esset: nec ullius ne-  
 cessitas egeret: nec quisquam exigeret:  
 sed voluntati tribuentis relinqueret. Quan-  
 quam nec tribuere opus foret: cùm in  
*αὐταρξία* cujusque, benevolentia tantùm, <sup>Sui suffi-</sup>  
 vix beneficentia, locus esset. Et hic fu- <sup>cientia.</sup>  
 turus fuisse videtur, status exactæ ac con- <sup>Ita ut</sup>  
 summatae Charitatis. In quo, lege, aut <sup>scripto</sup>  
 scripto jure opus non fuisset: cùm sine <sup>jure opus</sup>  
 malâ libidine, & concupiscentiâ, eoquè <sup>non fuis-</sup>  
 sine pœna, aut coercitione, agere po- <sup>set.</sup>  
 tuissent.

PARS CAPITIS SECUNDA.

*De Impossibilitate Primitivæ Charitatis.*

**C**Orrupto verò, per peccatum primi <sup>Post pec-</sup>  
 Parentis, genere humano: nullo mo- <sup>catum</sup>  
 do, ejusmodi Charitas, potuit retineri. <sup>orta.</sup>  
 Nam in pœnam peccati, invasit Nos, pri-  
 mùm *Infirmitas*: dum pulverem Nos ef- <sup>Infirmi-</sup>  
 fe; facilem dissipari, primo Parenti à <sup>tas.</sup>  
 Deo dictum, & simul factum est. Deinde  
*Indigentia*, dum ab eodem sterilem alendis <sup>Indigent-</sup>  
 Nobis terram, spinas tantùm & tribulos <sup>tia.</sup>  
 suapte germinantem, accepimus. Postre-  
 mò *Labor accessit*, cùm in sudore vultus, <sup>Labor.</sup>  
 pane vesci, jussi & damnati sumus. Hæc  
 tria

*Hac dit-  
tas dotes  
sustulere.* tria verò Æqualitatem exuere, proprietatem quærere, obligationem pacisci, cöegerunt.

*Sed sub-  
venit in-  
firmitati  
potestas.* Etenim ad *auxilium Infirmitatis*, necessariò *debilioribus* ferenda: *validioribus* verò ad *maiores commoditates*, viribus paranda: & ne privatim parta, *nimiùm excresceret*, tandem, consensu, Civitati deferenda fuit potestas. Tollenda verò Æqualitas, per quam Charitate cessante, nec hospes ab hospite tutus, nec sibi sufficiens quisquam erat.

*Indigen-  
tia domi-  
nium.* Deinde: Cùm etiam *non sufficerent* nobis, quæ ad usum vitæ pertinent, ea verò, naturæ seipsam conservantis ductu, *acquire quisque sibi mallet, quàm relinquere alteri*: In communi omnium Indigentia, *ad occupationem ventum est*: ut quod quisque primus manu apprehendisset, vel pede calcatum limite signasset, id ei, eripere alteri, fas non esset. Ita necessariò Communitas, (aucto præsertim genere humano, & non habente sufficientiam) paulatim sublata, rerum omnium, quæcunque occupari potuerunt.

*Laboris  
obligatio  
seu opis  
alienæ  
exactio.* Tertio denique: Quia *labor gravis, & onerosus* nimiùm erat; nec suus cuique sufficiebat; *obligatione varia*, ad operas præstandas, fructus ex iis tribuendos, ac communicandos, se mutuò obligare, ac *obstringere, & promissa, pacta, Contractus,*

ctus, exactè exigere, necesse fuit: Immunitate sublata. Præsertim cùm etiam conjunctim, & in commune laborem impendere non minùs grave foret. Nam opera in rebus parandis, & usus in consumendis par omnibus esse debuisset: quod deficiente Charitate fieri non poterat.

Ad hanc corporis miseriam, quæ Charitatem illam Primitivam, ægrè permittit retinere, accessit illa, quæ animum *corruptit, triplex Concupiscentia: auxitquè* Ex concu-  
piscencia  
Charitatis  
noxæ. immensùm *impedimenta, mutue dilectionis.* Per hanc etenim, non contenti homines, necessitati subvenire; ultra ejus exigentiam, appetiêre inania, & superflua, id est mala. Illecebras nempe Corporis, blandimenta fortunæ, & inanis gloriæ, fastus, & elationis varia nutrimenta: quæ fat, retegendo vitia, quibus scatet genus humanum, recensui. Ita Avaritiâ præcipuè, & Ambitiô Charitatem sustulit: Et fere  
interitus. *rupit concordiam: vim & bellum intulit: & exinde Æqualitatem, Communitatem, Immunitatem penitus extinxit.* Quæ non extinguenda omnino erant, sed ad certum modum & temperamentum, reducenda.

PARS